



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 4. Principes Germaniæ in Eugenium Papam propensi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. conferendis agebatur, multumque temporis in ejusmodi altercationibus frustra A.C. 1442. infumebatur, nec ulla tamen caussa dirempta est, vel quia noluerunt, vel quia nil decidere potuerunt.

§. III.

Profectio Legati a Felice in Italiam missi dilata.

Interea temporis Felix Nuncii sui in Italiam discessum vehementer urgebat, hancque in rem Nichodio de Metone Nicaeæ Comitatus Rectori, qui tum forte Basileam advenerat, negotium dedit, ut Triremem instrueret, qua Legatus in Italiam prima Maji transvehi posset. Jamque legationis mandata ex ore Æneæ Sylvii, quem a secretis habuit, accepit Legatus, quæ tamen eidem primum ultima die Februarii scripto data fuere. Differebatur illius profectio, eoquod Basileenses consultius fore censerent, si prævia Legatione solemnibus Burgundiæ, Borbonii, & Sabaudia Ducibus, qui Niverni convenerant, salutarentur.

Vide infra
S. 35.

§. IV.

Principes Germanicæ in Eugenium Papam propensi.

Acta Patric. to. 13. Conc. p. 1598. His ita Basileæ agitatis Archidiaconus Metensis, & Auditor Camerae, qui a Basi-

Basileensibus ad exploranda Principum Sæcul. XV. A.C. 1442.
 consilia in Germaniam decernebantur, in-
 eunte Mense Martio Basileam reversi
 sunt, hæc nunciantes: Principum senten-
 tia potissimum in id propendit, ut Euge-
 nio Papæ obedientiam palam profitean-
 tur, jamque concordie cum illo sancien-
 dæ conditiones in Italiam transmiserunt;
 Germani etiam acriter adversus Basileen-
 ses commoti sunt, eo quod nullum hu-
 cusque locum pro celebranda œcumeni-
 ca Synodo nominassent; cum tamen
 Principes certo credidissent, quod jam
 dudum Oratores suos Francofordiam ab-
 legassent, plena instructos potestate om-
 nia, quæ Germani Principes in votis ha-
 buerunt, agendi. Hoc nuntio Basileen-
 ses vehementer attoniti, frequenter co-
 gebant conventus, in quibus hac super
 re deliberarent. Ast suffragantium ani-
 mi semper in diversa abiere: cum autem
 ceteros inter Consiliarios quidam Felici
 auctor fuisset, ut in legationibus ad Re-
 ges, & Principes decernendis nulli labo-
 ri, nullisque sumptibus parceret, cum a-
 liis quoque temporibus hac ratione ejus-
 modi malo remedium quæsitum fuisset,
 Felix respondit, se jam aliunde inutilibus
 expensis plus justo gravatum, pluries
 jamjam Legationes decrevisse, nunquam
 felici exitu secundatas; sibi vero opti-
 mum consilium, tutissimamque videri
 A 3 viam,

Sæcul. XV.
A. G. 1442.

viam, si Patres abrupta omni mora pro futura Synodo locum designarent, sicque Principum, quibus hac in re nulla competeret auctoritas, urbem nominandi copiam prævenirent.

§. V.

Legati a Basileensibus ad Cæsarem pro pace reddenda decreti.

Paucis ex post diebus, cum Felix Basileensibus spondisset, se quævis pro pace Ecclesiæ reddenda acturum, nihilque eorum, quæ salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate, ad stabilem concordiam necessaria judicaverint, ommissurum, visum est omnibus, quosdam ad Imperatorem delegandos, qui de mediis ad consequendam firmam pacem necessariis communi studio agerent. Felix ergo cuidam Episcopo, nomine Bartholomæo, necnon Nicolao Amici negotium dedit, ut Synodicas literas ad Cæsarem deferrent, quibus de rerum statu edoctus, ad pacem Ecclesiæ reddendam permoveretur. Concinnabat hanc epistolam Basileensium nomine Panormitanus, quæ, cum copiose quidem dilaudata, nulli tamen probata esset, Æneas Sylvius jubente Arelatensi Cardinale alteram confecit, omnium, ipsius quoque Panormitani applausu commendatam.

In